THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Salzburg, Mitte 15. Jh. Seite 230v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8285
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



in nomine Sancte trinitatis aut qui baptisa-
retur in nomine genitoris et geniti et spiritus
sancti Nec qui baptisaretur quocumque modo
per quod posset error in fide katholica
oriri Et est sciendum quod in omni lingua
potest fieri baptismus et si quandoque fieret
corruptio in verbis ex simplicitate et
ignorancia latini eloquii unius sacerdotis
reputatur puer baptisatus dummodo verba
sint apta et intencio et materia debita
Zacharias enim papa reputat baptisatum
eum quia quodam sacerdote ignaro
baptisatus fuit In nomine patris et filii
et spiritus sancti Si autem fiat diminucio
in verbis ex necessitate propter instantem
mortem pueri pie credo quod summus
sacerdos suppleat et si puer moritur
est in cimiterio sepeliendus et si super-
vixerit esse sub condicione rebaptisandus
quamvis autem in primitiva ecclesia per asper-
sionem aque plures fuerint baptisati
modo tamen fieri non licet nisi in necessitate
sic quando timetur de morte pueri vel propter
debilitatem sacerdotis sive defectum aque
Et semper debet fieri trina immersio
nisi immineat periculum quia significat
fidem trinitatis et triduum sepulture
xpi quamvis unica immersio seu asper-
sio sufficeret ad subam baptismi graviter
tamen peccaret qui sine necessitate
ac consuetudine obmitteret Sed circa
materiam baptismi Hoc est circa aquam
in qua fit baptismus Considera
distinccionem Sancti Thome qui dicit quod
per mixtio potest esse duplex una que tollit
speciem sic quando aqua per alteracionem
transit in aliam speciem similem
per putrefaccionem sive digestionem transit
in aliud autem est per addicionem tantam
alterius liquoris quo soluatur species
aque sic qui parum aque multum
de vino infundat Sed quandoque altera
aqua secundum aliquod accidens et manet

species ut patet in aqua calefacta
hinc quando additur aliquid aque quod
non commiscetur ut quando aliqua solida
ponuntur in aqua vel si sit commiscibile
dum tamen est tam parue quantitatis ut
mixtionem non faciat sed in aqua peni-
tus convertitur In aqua ergo primo modo
permixta non potest fieri baptismus quando
autem mutata sit species vel non cog-
nosci potest ex raritate vel densitate
vel quando humor aliquis non raresieret
calido vel non constringeretur frigore
sicut aqua Hinc patet in vino et oleo
et lacte et huiusmodi Unde in aqua maris
potest fieri baptismus et dicit Thomas
de aquino quod in aquis sulphureis
et in aliis aquis que ex terra transeunt
et immutantur potest fieri baptismus
Similiter si aqua polludis esset in
tantum degrossata quod crederet a vera
raritate aque non posset in ea fieri
baptismus sicut si esset lutum aliquis esset
baptisatus quia adhuc esset species aque
Dicit etiam albertus quod in aqua
prodiorum pinguium vel huiusmodi que
in frigiditate congelantur et in Cer-
visia urina vel lixivio que multam
commixtionem acutorum corporum habent et similiter
in aquis quas faciunt Alchamiste
ad mutandum metallum non possit
fieri baptismus quia mutatur species aque
Dicit etiam quod in aquis sulphureis
subterrenis potest fieri baptismus
Item dicit quod melius esset quod sacerdos
faceret fieri aquam calidam quia par-
uuli quandoque penetrantur frigore ex
quo trahuntur mortales infirmitates
et moriuntur Est inde sciendum quod
triplex est baptismus scilicet fluminis
flaminis et sanguinis Fluminis est qui
fit in aqua Sanguinis si quis occideretur
pro xpo Flaminis vero hoc est baptismus
penitencie ut si quis libenter baptisaretur